BEATUM

CHRISTOPHORUM Richter/

Nobilissimum, Amplissimum, ac Consultissimum

Virum;

Consiliarium Provincialem,

per Pomeraniam, Regium;

&

Sedinensium Consulem

meritissimum,

mœsta luget

RESPUBLICA.

ADeone de Me optime merite discedis? Heu miseram, qvæ undiq; & ubiq; laceror! Discedis è Consilio Senator, è Provincia Consiliarius, è Curia Consul; ab omnib9 parens, prudens, longæ ætatis, multæq; experientiæ. Ita *crescendo Vita decrescit!* Ita decrescente Virorum numero, etiã Respublica. Decrescis sane, ac tecũ eripis nobis consilia Tua, Senex optime, Candorem Tuum, ac *Sinceritatem citra Pompam*; edecumatam Experientiam Tuam, cujus te Adversa partim, Itinera partim ac Peregrinationes, (Pene puer enim varias gentes & plurima vidisti Regna) longusq; rerum usus, qvi solus Artificem facit; fecere participem. Decrescis certe, suntq;, qvod esse solet postremi vitiũ temporis, infirmi corporis artus. Decrescis deniq;, ac jaces; crescentibusq; Terræ plantis, reconderis in Terrã. *Virtute duce, comite Fortuna*, ad summam apud nos Dignitatem conscendisti. Erat tamen ista Dignitas Onus Tibi, ac desiderati impedimentum Otii, qvo nunc tendis; &; ut vere crescas, decrescis. Relinqvis Curiam, ipsiq; cum Mutiano, VALETE SOLICITUDINES! inscribis: Tumbæ vero Tuæ; BEATA TRANQVILLITAS! qvod Ille domui olim suæ. Desiderabo Candorem Tuum, qvo Patriæ SOLICITUDINES, in hac Candidorum solitudine, suscipiebas fortiter, urgebas cordate, conficiebas mascule. Ita in Publico Publici curam gerebas! Ita miserari poteras miserorum, ut solent qvi olim fuere miseri! *Explorant* namq; *adversa viros*, nec qvisqvam semitas rectius novit, qvam qvi easdem

calca-

calcavit aliqvoties. Creſcis tamen Tibi, dum decreſcis nobis. Creſcis Cœlo, qvi decreſcis Terræ; Creſcis cœleſti, dum decreſcis Curiæ Sedinenſium. Perducit ad ardua Virtus! & hæc ardua ad majora; hæc magna ad maxima; Hic Labor ad Reqviem, hæc Dignitas ad Otium, hæc Solicitudo ad beatam, ô vere beatam! Tranqvillitatem. Sed Tua hæc Tranqvillitas, Beatisſime, nobis veteres Solicitudines relinqvit, novasq; parit. Hoc Tuum otium, negotium nobis creat. Hæc Reqvies Tua, Laborē nobis. O laborantē Rempublicam! Habeo eqvidem, qvi ſupplere locum posſint, Heroico pariter ac Clemente pollentes animo; Et hinc unicū mihi ſolatium; Mallem tamen virtutē Tuam experiri diutius, Beatisſime. Abit ac abiit Ille, Iſte; ſtatq; orbata viris, nudataq; robore Reſpublica. Amittit Nobilitatis ſuæ, Inſigniumq; primum, cum in Septentrione esſes, Procuratorem; è Comitiis Oratorem, è Senatu Conſulem, & propter ætatem Tuam, Rerum hujus ſeculi, qvaſi memoriam. Tantum eſt qvod perit, Tales cum pereunt! Flere poteſt privata domus, qvæ patrem; Lugere debet Reſpublica qvæ Caput amittit. Ibi Privatum periclitatur, hic Publicum. In unum vel paucos ibi redundat malum; hic in multos, imò omnes. Hæc dum recenti luctu, & inde nato impetu, verbis ultrô ſe ingerentibus, meditor, diffluo pene lacrymis, & Morior! Hoc tamen Meo, de me, deq; meis meritisſimo, priusqvam finiam,

Lugens ac mœſta depropero

Monumentum.

PRUDENTIA DUCE, FORTUNA COMITE!

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ac CONSULTISSIMO

VIRO,

CHRISTOPHORO Richter/

REGIO PER POMERANIAM CONSILIARIO PROVINCIALI,

SEDINENSIUM CONSULI,

MULTÆ EXPERIENTIÆ, ANTIQVÆ FIDEI,

MULTI CANDORIS,

PLURIMORUM MERITORUM,

QVOD

OPTIMUS PATRIÆ ORATOR,

PRIMUS EIDEM NOBILITATEM

AUCTAQVE INSIGNIA

A SEREN. ac POTENT. SVECORUM REGE

OB TOLERATAM FORTITER OBSIDIONEM

COLLATAM, ATTULERIT,

RESPUBLICA SEDINENSIS

SACRUM VOLUIT.

VIXIT ANNOS LXXIII. MENS. IV. D. IV.

OBIIT XXIV. FEBR. A. cIↃ IↃC LXIX.

M. R.

